

est, repræsentat. Eamque ob causam voces occurrentes tamdiu propriè veniunt accipiendæ, quamdiu non ipsa Scriptura vel in eodem contextu vel alibi figuratam acceptionem detegit. Nimirum non semper, solas considerare textus voces, sufficit, verum hinc inde dubium quoddam occurrens suspensos tenet animos nostros, imprimis in rebus ad fidem & vitam non pertinentibus; cum magnifice & salubriter Spiritus S. sacras scripturas ita modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret, juxta notissimum Augustini dictum. Dantur sanè nonnulla, quæ inexplicabilia sibi esse, cum Hieronymo viri etiam acutissimi fateri haud erubuerunt, vid. B. Glass. Pbil. s. p. 82. Quamvis, quod uni non statim licuit, alteri sæpè diligentia adhibita, conceditur; ut experientia docet. Et in in iis quidem, quæ ad fidem & salutem necessaria sunt, non tanta pervenitur difficultate, cum nihil de illis obscuritatibus eruatur, quod non planissimè dictum alibi reperiat; dicente in epist. V. ad Volus., Augustino, quod dictum unâ cum aliis, haud dissimilibus exhibet Pf. thes. Herm. p. 2. Rectè scilicet Augustinus hoc ipso effato collationem aliorum locorum inculcat, ubi in eo, qui ob oculos vertatur, obscuritas adsit. Omnium enim, quotquot tam in profanis quam ecclesiasticis scriptis occurrunt, difficultatum expositio collatione integri contextus ac locorum huc facientium, nec non scopi, aliarumque circumstantiarum pensitatione ab interpretibus tentatur atque perficitur.

§. 7. In dicto nostro Jesaiano modus scrutandi pari ratione verbo, nempe שׁוּרַר includitur. Verbum illud, de quo Buxt. in lexico observat, quod construatur cum accusativo & variis prepositionibus, לְרֹב , עַל , לְאֵל , h. l. ad vocem סַפֵּר refertur interveniente particula עַל , quæ notoriè composita est ex לְ , quod latissimè quidem usurpatur juxta Buxt. p. 554, nempe 40 ferè modis, juxta Noldii Concord. Partic. p. 687, vel 46, juxta Joh. Michaelis in Lexico partic. sed ita tamen, ut ad tò super , tanquam famosam significationem cæteræ reduci possint, notan-